



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 61. Synodus Mexicana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

§. LX.

Sæc. XVI.  
A.C. 1524.

*Viri Apostolici a Papa in Mexicum  
missi.*

Hoc anno Clemens Papa Martinum  
patria Valentimum Virum vere A-  
postolicum cum duodecim Fratribus Mi-  
noribus in Mexicum decrevit, ut hanc  
gentem ab Idolorum cultu abstraherent,  
atque ad fidem Catholicam perducerent.  
Hi Viri Apostolici ingentes prorsus in  
hac Regione progressus fecere, potissi-  
mum adjuti pietate Ferdinandi Corte-  
sii, qui adhucdum in hac insula agens  
summo honore Sacerdotes exceptit, suo-  
que exemplo Mexicanos induxit, ut ho-  
c Verbi divini Præcones non sine ma-  
gna submissione auscultarent.

*Raynald.*  
*hoc an. n. 112.*  
*& 113.*

§. LXI.

*Synodus Mexicana.*

Collecta igitur copiosa animarum se-  
gete iidem Viri Apostolici hoc an-  
no in urbe Mexicana Synodum habue-  
runt, in qua plura considerunt decre-  
ta, ut fideles pro fuscipiendo baptisma-  
te rite instituerentur, ac in fide, quam  
amplexi fuissent, immoti conservarentur.  
Præfuit huic Synodo Martinus utpote  
Papæ Nuntius præcepitque, ut Mexica-  
ni,

*Raynald. ib.*  
*Spond. ann.*  
*1524. n. 18.*

Sæc. XVI. ni, cum antea polygamia inter eos admodum frequens esset, imposterum ubi Christo nomen dedissent, ex pluribus uxoribus, quas prius habuissent, unam duntaxat, quam vellent, ritu Christiano ducerent: Ut vero hæc statuta eo efficacius executioni darentur, Ferdinandus Cortesius in singulis Provinciis Gubernatores nominavit, ipse vero postea Menœ Octobri, ut novas terras detegret, hujus anni expeditionem confecit, secumque Quahutimocum Mexici Regem, aliosque Proceres, ne quid se absente novarent, secum abduxit.

## §. LXII.

*Novæ Franciæ detectio.*

*Spond. ann. hoc n. 19.  
Ramus to. 3.  
in fin.* Eodem anno Joannes Verrazanus patria Venetus, aut ut alii volunt, Flórentinus sub Francisci Galliarum Regis auspiciis navigationem in partes Septentrionales suscepit, legitque cursu suo totum illum tractum usque ad Floridam, postea vero detexit Insulam, & promontorium Britonum. Hujus Regionis incolæ communis nomine Canadenies vocantur: ipsa vero provincia hodie Nova Francia dicitur, quæ Sinus S. Laurentii Insulas complectitur, præter omnes illas, quæ Casperiam cingunt, quas inter præcipuæ sunt Insula Regalis